FRANCKESCHE
STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Lebenslauf von Benedict Hermann Holtorff.

Holtorff, Benedict Hermann

Halle (Saale), 16.01.1712

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-210525

Visual Library

Breve, quod in hac miseriarum valle, summi Numinis gratia fultus, egi adhuc vitæ curriculum, albo huic ad-scribere jussus, sequens trado. Patriam ego, Bened: Herman: Holtorff, habeo terram, Veterem Marchiam, natus d. 16. Febr: 1689. in pago Staatz, è regione Arendalia: Parentem vero Erasm: Nicol: Holtorffium, nativitatis meæ tempore Staatzensium pastorem, et matrem, pie jam dudum defunctam, Zwierlingiam. Præterlapso postea sex annorum spatio, Parens ad Rathenavienses in Marchiam mediam Diaconus vocatus curæ me Præceptorum ejus civitatis commisit fidelissimæ, non interim sua simul paterna educatione et privata castigatione. Patiebar ego hic loci me imbui juncta pietate et morum doctrina literis, ut appellant, humanioribus tamdiu; dum rebus ob matris suavissimæ obitum, ex parte mutatis, patrios linquens lares, ad amitam, quæ Soltquellæ habitabat, iter suasu parentis optimi 13. annos natus instituerem. In numerum alumnorum Rectore quidem clariss: Ungnadio, Conrect: Ladio recipiebar. Invigilabam, quibus ditatus eram laboribus et studijs ibidem biennium. Flamma ingenti vero postea, dimidiam ferè urbis partem consumente, linquere hunc locum, victum non amplius inveniens, aliundè bonarum literarum emporium quærere cogebar. Ita fiebat, ut summi Numinis ductu fretus, Scholam, quæ Stendaliæ tum florebat, habitarem, atque duce Rectore doctissimo Tapperto, et Con-Rectore Goldeo in Hebraica præsertim Græcaque non omnino nullos facerem lingua progressus. Elapso iterum triennio Parentis plurimum reverendi jussu, aliorumque fautorum suasu, ut in primis styli latini exercitationi ansu continuarem, Brandenburgum petebam, votique mei compos redditus, per biennium et hic loci

comorabar. Rectoris tum munus demandatum erat viro haud vulgari eruditione prædito, Rennigio, Con-Rectoris Brattero. Postea suadente inter religiosos viro aliquo, cujus autoritas apud me multum valebat, Berolinum petens, in Gymnasio Coloniensi Rectore tum temporis Rota, vide, Con-Rectore Rubino, viris doctissimis, literis per annum invigilare pergebam. Tandem aliquando, in publica oratione altè discessu meo indicato, meorum omnium unanimi monitu regiam Fridericianam hanc inclutam petens, sanus et sospes, circa decursum mensis Maji anni jam præterlapsi, Deo duce Christo et comite Christo S: cui sit gloria, adveni. Permulta inter beneficia, quibus me benignitas admiranda et pio semper animo meditanda Jehovæ cumulavit per id tempus, quo ~~vive~~ hic loci mihi indigno contigit, quæ brevis hæc pagula capere recusat, aliquid saltem referam. Nimirum, Deo ita dirigente ex summa Reverendi Professoris Franckii favore et singulari benevolentia, membris Seminarii, ut vocant, selecti adscribi dignus judicatus sum; particeps simul factus omnium cum hoc instituto connexorum beneficiorum. Sic itaq d. 5. Nov: 1711. ordinariis adnumerari cœptus sum convictoribus. Ut vero hæc præsens vitæ meæ conditio corpori meo, præsertim vero animæ conducat, et multos ferat fructus; Concedat mihi fons et origo salutis omnis Deus. Idem ille omnibus quoque, qui orphanotrophæo huic vel consiliis et precibus præsunt, vel beneficiis et muneribus succurrunt, benedicat per vulnera, mortemque Christi Salvatoris. Amen.

Halæ Magdeburgicæ. d. 16. Januar: 1712.